

VIR CUM SACCO AD IULII VILLAM ADVENIT

Sol supra villam et hortum Iulii lucet, in caelo nullae nubes videntur et aves volant atque canunt laetae. Vir et femina in magno cubiculo dormiunt et stertunt, dum pueri cum ancilla Delia in horto pila ludunt. Margarita autem irata est; nam in terra, ante ostium villae, vestigia hominis videt, sed homo ipse ab ea non videtur. Iam Margarita vocem audit: “Ahi, ahi!”; itaque vertit caput et post magnam arborem, ubi nemo videri potest, quia folia ramiq̄ue occultant et homines et animalia, caudam moveri videt, ergo ad eam accurrit, latrat et caudam suam movet. Cum ad arborem advenit, reperit non solum parvum canem, sed etiam Medum, servum familiae Iulii. Canis latrat et mordet magnis dentibus virum, qui autem in terra iacet et clamat: “Iuli! Iuli! Veni ad me! Iuli!”. In cubiculo Aemilia latrare et vocare audit, itaque Iulium tangit et dicit: “Iuli, age! In campo Margarita latrat, quod homo adest!” Iulius oculos aperit et clamat: “Quid? Quis est prope villam meam? Nemo in eam intrare potest, cum dominus non vult!” Itaque vir iratus baculum capit et petit campum, ubi adsunt, prope Medum, Iulia, quae oscula servo dat, Marcus, Quintus ac Delia. Vir dicit: “Mede! Cur servus hic est?” Et Medus: “Quia servus te amat! Hic pulcher canis tuus est! Accipe eum!”. Iulius iam revenit ad villam cum Medo, Delia ac liberis suis, sedet in mensa et interrogat: “Mede, dominus laetus est, sed ...ubi est pecunia mea?” Servus perterritus respondet : “Iuli, pecunia tua abest!” Dominus cor suum dolere sentit, pectus tangit et ad terram cadit ...

Silvia Mulazzani